

neque ignobilis, opidi. Cuius quidem imaginis contemplatione tacita quantaquamque mirabiles in animo meo laetitiae excitentur; quantis quantaquamque dulcibus gaudiorum non tam riuus, ut ita dicam, quam fluminibus, non tam irrigentur, quam inundentur, pectus meum artusque omnes, dici a me et exprimi verbis nullo modo potest. Etenim solers et diligens naturae prouidentia ingenia hominum sic format et fingit, cupiditatesque eorundem ac studia, tanquam triremium impetus rectoris ars, ita moderatur et gubernat, ut, qui magni excelsique laudem animi appetant et adspirent, ab iis neque res villo tempore alias, nisi maxime vtilis et arduas et difficiles, suscipi patiatur, neque laborum et molestiarum periculorumque mercedem desiderari vllam, praeter gloriae laudisque immortalitatem, iubeat, ut, ea detracta et sublata, necesse sit ex animis hominum omnem magnitudinis et altitudinis sensum funditus tolli radicitusque extirpari. Themistocles quidem, Atheniensium summus vir, nullum acroama, nullius vocem, libentius a se audiri professus est libere, quam eius, a quo virtutis suae praestantia optime praedicaretur. Cyrus autem ille superior quum auxilio Medis aduersus ciuitatem Assyriorum proficiscens ordines militum cohortaretur, vix verba reperire idonea potuit, quorum pondere et grauitate significaret declararetque magnitudinem gaudii, quod animos omnium tanta cupiditate laudis incensos inflammatosque videret, ut perennem aeternumque gloriae splendorem atque vbertatem tenuitati commodorum et obscuritati praemiorum aliorum omnium breui et temporariae praeferre viderentur: quae deberet pulcherrima existimari possessio, quae
 impe-